

quæ lineæ & spatia Baculi omnibus reliquis lineis & spatiis pentagrammorum palimpsesti. Quo facto, vide, ut antea, in quas lineas & spatia pentagrammorum reliquarum trium Vocum ( Tenoris, Alti & Cantus ) cadant puncta reliqua Baculi, & uni pentagrammo imprime punctum cum numero 3, alteri punctum cum numero 5, tertio punctum cum numero 8; & habebis tres consonantias secundæ notæ Bassi superstructas, prout apparet in columna A ejusdem sequentis palimpsesti.

His etiam factis, perge ad tertiam notam Bassi: quæ quia est in spatio F infra lineam infimam sui pentagrammi, accipe Baculum F, & applica palimpsesto, ut infima linea Baculi congruat infimæ lineæ palimpsesti, & consequenter omnes reliquæ lineæ & spatia Baculi omnibus reliquis lineis & spatiis palimpsesti. Tum vide, in quas lineas & in quæ spatia palimpsesti cadant puncta reliqua Baculi F, & in uno pentagrammo nota, ut antea, punctum cum numero 3, in alio punctum cum numero 5, in tertio punctum cum numero 8; & habebis iterum tres consonantias tertiæ notæ Bassi superstructas, ut apparet in tertia columna seu discrimine sequentis palimpsesti.

Hoc modo procedes, donec omnibus Bassi notis superstruxeris puncta harmonica reliquarum trium Vocum, accipiendo bis Baculum C, propter duas notas Bassi in spatio C positas, & bis Baculum F, propter duas notas in spatio & linea F collocatas; & semel Baculum B, semelque C, ac tandem semel F, propter notas in B, C, & F in pentagrammo Bassi existentes. Erunt itaque omnia puncta omnibus pentagrammis impressa, & stabunt, uti in palimpsesto sequenti apparet.

*Quartò.* Impressis omnibus punctis in reliquis tribus Vocibus, superinduc illis notas easdem, quæ in Basso sunt; & habebis melothesium ope Baculorum melotheticorum perfectam; melothesium inquam Contrapuncti simplicis. Notæ ergo musicæ tam in Bassi, quàm in reliquarum trium Vocum pentagrammis stabunt, uti apparet in schemate palimpsesti, quod sequitur.

*Palim-*